

Za
673





Q. 233. 22

Za
673

CLARISSIM
ET DOCTISSIMI VIRI

D. VALENTINI APELLIS GVBIO
nensis, Philosophie & art. liberal. Magistri, ac Scholæ
Frübergensis per annos XXXVI. Rectoris fidelissimi,
Vitæ Curriculum, Chronodistichis quinque, & Epitaphia
nonnulla, à viris doctis, Collegis, filijs & discipulis,
in honorem gloriose Resurrectionis scripta,
& collecta:

M. Michaelē Hempelo
Frübergensi.



15

82.

FRIBERGÆ.

Optimæ. aut. studiosæ diligenti-
siss. Michaeli Khunoni Fri-
bergensi Civis. chariss. homo
misit Autor 3900





CLARISSIMIS,
ET PRVDENTISSIMIS
VIRIS, PIETATE, ERVDITIONE, ET
prudencia præstantibus Dominis CONSVLIBVS,
IVDICIBVS, *cæterisq; incho* Reipub. Gubinenfis,
in Marchia inferioris Lusatia, Senatoribus,
Dominis & amicis S. colendis.

S. D.

M. MICHAEL HEMPELVS
Fribergensis.

PLATONEM TANTI FECIT
Aristoteles discipulus, vt nomini eius aram
in templo construxerit, statuamq; in qua
scriptum erat: HVNC ESSB ILLVM,
QVEM PROBI OMNES ME
RITO DEBEANT IMITARI,
ET COMMENDARE, conserva-
uerit. Id quamuis recte ad omnes gratos disci-
pulos, vt scilicet bene meritos præceptores,
in ipso etiam sepulchro, honore, quo possunt,
maximo afficiant, eosq; egregijs ac veris ornent
Elogijs, ad nullos tamen, quam ad Christianarum
Scholarum alumnos rectius accommodari potest.
Etenim illis è fontib. limpidijsimis Israëlis, verbi

A 2

DEI.

Verbo DEI, quæ & quanta pietati tam in DEO
VM, quam parentes & præceptores in hac &
futura vita promissa sint præmia, solum modo
notum est. Certissimè etiam sciunt quòd gloriosa
mortuorum resurrectio, & vite æternæ gaudia
omnibus pijs in die nouissimo expectanda sint,
ubi ipsi cum fidelibus Præceptoribus gloria or-
nabuntur perpetua. Inde quoq; fit manifestum,
quàm mirabiliter DEVS Sanctos suos regat
atq; gubernet, ac instigatione sua contra Diabulos,
eorumq; organa eosdem paternè tueatur. Alij
etiam hac ratione ad pietatem, & fidelitatem
mirum in modum incitantur, utq; DEO fidant
confirmantur, atq; ita Spiritus Sancti auxilio
res magnas ac salutare societati humane effici-
unt, ut diuinæ maiestatis organa verè dicantur.
Virtutes quoq; præclare, & insignia hominum
bene meritorum, ac in CHRISTO dormiens
tuum dona, itidem ut & eorum labores, eru-
mne, cum certaminibus posteritati innotescunt.
Præclaram igitur nauant illi operam, qui homi-
nibus pijs, præsertim ijs, qui in Ecclesijs, Scho-
lis, aut Respub. optinè de genere humano meri-
ti sunt, Epitaphia vel ipsi scribunt, vel ab alijs
scripta fideliter colligunt. Cùm autem è præcio-
patis huius seculi Ludæ Magistri vnus fuerit Vir
clas

clariss. & doctiss. D. VALENTINVS
APELLES artium liberalium & Philosop
hie Magister, Præceptor & Collega meus
charissimus, ac per sex & triginta annorum
spacium celebre patrie meæ Gymnasium feliciter,
Dei benedictione, ac cum laude rexerit, ut
dubium non sit, tanto spacio è ludo ipsius tan-
quam ex equo Troiano innumeros viros pios,
doctos, ac eloquentes, qui docendo in Ecclesijs,
instituendo in Scholis, ac dicendo in Rebuspub.
administrandis, non in Misnia solum, verum
in tota Germania plurimum valeant, prodijisse:
pietas exigebat, & officij mei ratio postulabat,
illa tanquam discipuli erga Præceptorem, hæc
ut Collega erga Rectorem, ut quæ à doctis viris,
Collegis, filijs, ac Scholæ nostræ alumnijs, in
optimi Senis obitum scripta sunt Epitaphia,
cum meis coniungerem, ac in libellum ordine
colligerem. Vitæ eius curriculum Chre-
nodistichis quinque memoriæ causa complexus
sum, scripturus plura si per imbecillitatem,
morbiqûe vehementiam integram suæ vitæ
historiam recitare, & continuare nobis

Δ 3

D. APBL

D. AP ELLES potuisset. Hoc unum addo,
quod inde liceat coniecturam de ipsius pietate,
eruditione, & autoritate facere, quod in aurea
heroum Ecclesiasticorum, qui ante Mundi finem
doctrinae puritatem, singulari Spiritus Sancti
robore, instaurauerunt, etate, in celeberrima
Vuitebergensi Academia literis dederit operam.
Vidit enim & audiuit quotidie per aliquot annos
Heliam tertium D. MARTINUM LV
THERVM, cum discipulo suo Eliseo D. PHILIPPO
MELANCHTONE, D. IOHANNEM BVGENHAGIVM Eccle
siae Vuitebergensis Episcopum: D. IVSTVM
IONAM, D. CASPARVM CRVCI
GERVM, IVSTVM MENIVM,
VITVM THEODORICVM, GE
ORGIVM RORARIVM, & alios. Ipse
vsus praefectore privato viro in Graecis & ara
bibus liberalibus excellenter docto, D. Doctore
VITO VVINSHEMIO in Iudi magis
strum non vulgarem euasit. Inter studiorum so
cios, quos multos insigni pietate, & doctrina
claros & excellentes habuit vel praecipuum D.
IOHANNEM STIGELIVM, seculi
nostri Poetam praestantissimum, qui, vt saepius
ipse nobis narrauit, cum nocte quadam serena
vero

vermiculos flammæ instar tempore nocturno
splendentes & volitantes, quos Græci ἐφρηέο
γους appellant, inter frutrices quæreret atq;
subitò cum quodam stridore inde proreperet,
quidam è socijs audaculus, ac mentis parum
compos, huius rei ignarus feram esse existimans,
Stigelium securi occidisset, nisi diuina providen-
tia à Valentino ictus esset interceptus, qui si
tam miserè perisset, proh DEVS bone, quan-
tum decus & ornamentum amisisset Ecclesie
DEI, & vniuersa Germania?

Cum autem propter pietatem, & humani-
tatem præceptoribus suis, & summis, quæ mo-
dò nominavi, Ecclesie luminibus esset charissi-
mus, ad gubernationem scholæ Fribergensis, non
sine singulari DEI voluntate missus est. Cum
enim Ecclesia, teste per Salomonem Spiritus
Sancto, sit sicut castrorum acies ordinata, in-
tellige, ad dimicandum: Quia sicut in belli
acie, quando miles cadit, statim in ipsius vestigi-
um succedit alius, qui ipsi est proximus: Sic in
Ecclesia DEVS quasi serie quadam subinde exci-
tat alios salutare, Doctores, qui doctrinam Ec-
clesie propugnant, vt historia sacra testis est.
Quantum enim est in hominum memoria, sem-
per Omnipotens DEVS, ac sapientia DEI,
que

que suam habet delectationem cum filiis hominum, huic Vrbi, patrie dico mee charissime, que inter Misnie civitates prima sincerio rem Euangelij doctrinam amplexa est, pijs, doctis, & fidelibus ludimagistris prospexit. Anno enim ab hoc, supra sexagesimum sexto huc vocatus D. IOHANNES RHAGIVS ABSTICAMPANVS Rhetor, & Poeta Laureatus Scholam latinam & Christianam aperuit, & Apellis more iuventutem in declamationibus, sine dubio etiam in scribendis carminibus exercuit, multosq; ex precipua nobilitate, & patricijs Fribergensibus doctissimos discipulos, qui scriptis suis admodum clari, & nobis chari sunt, posteritati vero erunt charissimi, reliquit. Huic successit PETRVS MOSELLANVS, IOHANNES RIVIVS cum suis Collegis viris excellenter doctis, & ADAMVS SIBERVVS, cui ad gubernationem Scholae Halensis in Saxonia vocato VALENTINVS APELLES successit, qui pre ceteris, quos nominavi, omnibus Scholam, DEI bonitate, habuit frequentissimam.

Qua

Quae autem sedulitate & fructu scholasticæ iuventuti præfuerit, testantur ipsi discipuli, viri in omni doctrinarum, ac facultatum genere doctissimi. Testis etiam erit, sine dubio, ipse **DEI** Filius in die nouissimo coram Diuina maiestate, choris angelorum cœlestibus, & omnibus Sanctis, ante cuius tribunal quoque patefiet, rectè sensisse venerandum nostrum senem **APELLEM** de omnibus fidei Christianæ articulis, omnibusque Religionis nostræ capitibus.

Imprimis verò cum detestatum esse illorum delirium, qui aliter de præsentia Corporis & Sanguinis **DOMINI** in Cœna, quam Verba institutionis sonant, sentiunt. Cuius rei ego cum reliquis Collegis, quorum nonnulli ad vicesimum quartum vsque annum cum ipso quotidie conuersati sunt, & cum numeroso cœtu Scholastico, testis esse possum.

Si verò, vt est huius seculi singularis quædam & magna impudentia, aliquis non vereatur contrarium dicere hunc, rogo, **DEVS** in hac vita paternè castigat, ne ante **CHRISTI** tribunal, & in gehenna sentiat, atque experiatur, quantum sit peccatum Viris pijs,

AS

ac in

de innocentibus viuis, & sepultis labem asperere. APPELLIS quoque eruditionem indicant, quæ post se reliquit, sed non edita, opera: Proverbia Salomonis, & Syracidem rithmis elegantibus reddidit, itidem ut & P. Mimi Sententias, Ac historiam de filio prodigo in Comœdiæ actus eruditè ac egregiè distribuit, moralibusque exornavit, optimis: Susannæ verò reliquit imperfectam. Terentij Comœdias adeò illustravit, ut in hoc, quo ad temporis præsentis mores, omnibus commentarijs præferri, & omnium ordinum hominibus non sine fructu proponi possit. Variam, iucundam, & utilem historiam Chronodistichis latinis adeò facilibus & suavis complexus est, ut in hoc genere nullum, quod sciam, simile extet scriptum, quod non solum à iuventute scholastica, sed ab omnibus antiquitatem, & historias amantibus cum summo commodo legi, & memoria mandari debeat. Ideo ex animo propter Rempub. scholasticam optandum est, ut sumptibus alicuius liberalis viri in publicum hoc opus ederetur. Maiorem enim navaturus esset operam, quàm si ad alias res splendidiores & evanescentes pecuniam conferret. Sed in his commemorandis longior sum, quàm institueram, non tam amoris mei erga APPELLEM nostrum, quàm veritatis

ritatis

tatis causa. Nec institui viri præstantissimi &
optimi meriti hic integrum Encomium. Hoc ta-
men affirmo non minus de ipso, quàm Platone
dici posse: Hunc esse illum, quem
probi omnes merito debeant
imitari, & commendare.

Cùm igitur viri clarissimi & prudentissimi
vestre civitatis patricius optimus hic senex fue-
rit, intermittere nec volui, nec debui, Epita-
phia, quæ ipsi varijs carminum generibus scri-
pta sunt, quæq; in præsentia ad manum habui, à
me collecta, ad vos mittere, neq; dubito, ea vobis
pro vestro candore fore gratissima. Ansam etiam
vnâ præbere omnibus studiosis volui, vt in hoc li-
terarum, atq; liberalium artium, ne dicam vera-
bi diuini, qualis vix vlllo seculo fuit, contemptu,
huius viri vestigijs strenuè insistant, studia non
frigide tractent, aut prorsus abiciant, sed potius
de miserimis & afflictissimis scholis ad pos-
teros conseruandis anxij & solliciti cogitent, &
mercedem in cælis copiosissimam, ac præmijs
amplissima, ad arctum in hac vita panem, & a-
quam breuem patientes expectent, quod nisi fiet,
breui piorum, doctorum ac fideliarum præcepto-
rum,

rum, qui bene & vtiliter tenere & iuventuti Scho-
lasticæ præesse, ac prodesse possint, penuria,
proh dolor, tanquam ingrati seculi pena, metu-
enda est.

Filius DEI Dominus noster IESVS
CHRISTVS, qui ascendit in cælos, vt det
dona his terris, fideles operarios in messem suam
vsq; ad huius Mundi finem benignè mittat, &
quos misit paternè tueatur, & clementer conser-
uet: faciatq; vt Ecclesiæ & Scholæ viris pijs ac
eruditis, & Republicæ civibus bonis & ho-
nestis, non destituantur, Amen.

Fribergi in Misnia Anno M. D. LXXXII.
die XII. Februarij, quo ante annos LXIIX.
Gubine M. VALENTINVS APEL-
LES natus est.



TE

TETRASTICHON.

Docta VALENTINVS membra hic deponit A-
PELLES

Freiberga celebris Rector in Vrbe Scholæ.
Vtraq; insignis lingua, candore decorus,
Ingenio prudens, & Polyhistor erat.

Duxit apes pueros miti moderamine, alumnis
Esse typus studuit moribus, vltro p̄p̄s.

CHRISTE tuo mortis sed in hora sanguine nixus
Aspicit, æternæ gaudia plena Scholæ.

David Krautvogel Eco-
clesiæ Freibergensis
Superintendens.

Κλαίετε θνητοί, πλὴν σιωπῆς φερίγγα δ' Ἀπέλλου
καὶ σιφαίνην χρυσέην ῥίψον ἰδρυβιδῶτος.
παῖδας κουρίζων ὑμῶν ἔνδοξος Ἀπέλλης
κάτθαν', αὐτῆς πλείσιμα λαμπρὰς ἑὼν διδασχίν.

Hiobius Magdeburgus.

M.VA

I.
**M. VALENTINVS
APELLLES.**

Nascitur GVBINAE in Marchia inferioris
Lusatiae, sub elevatione poli 51. Grad. die 13.
Februarij in Vigilijs scilicet Valentini, patre
Andrea, & matre Visula Kemelia, Anno 1514.
qui annus, Mensis, & dies hoc Cronodisticho
continetur.

QVinqve Dies qVando p[er] SOL IVNCTVS, ApeLles
Les

Nascitur: vt vivens fiat is opto senex.

2.
M. VALENTINVS APELLLES.

In celeberrima Vuitebergensi Academia
gradu Magisterij Philosophi i ornatur, a Decano
no M. Cunrado Lago, Anno 1538. hinc Chrono-
nod. stichon:

Signa Magisterii praeclari vbi nactus ApeLles,

PhILLippVS praesens atqve LVtherVS erat.

3.M.

3.

M. VALENTINVS APELLES

Ab inclyto Senatu Fribergensi ad Scholæ gubernationem vocatus, munus illud feliciter aggredditur, Anno 1545. iuxta Chronodistichon :

AVGVSTO AVGVSTO Fribergam appellit APELLES,
Atqve Scholæ catvs fLEXit ab arte plios.

4.

M. VALENTINVS APELLES:

Cum Virgine castissima Catharina, optimi, & prudentissimi Viri GEORGII MULLERI pie memorie, qui per annos 42. Senator Fribergensis fuit, filia matrimonium sat fecundum iniuit, Anno 1549. ipsi enim in eo liberos tredecim peperit, hinc Chronodistichon :

Casta VALENTINO CONIVNX Catharina fit, ex quo
Ter qvater, atqve semel facta parente parens.

M. Valentinus Apelles absens fit viduus extincta coniuge Catharina, quæ decessit ex hac miseriarum valle, Anno 1576. Mense Octobri die 14. vesperi, quo Sol relicto Libræ signo Scorpium ingreditur, iuxta Chronodistichon :

Regna

Regna poli sVBeo Catharina pia VXor Apelli,
Rellicta Libra sole tenente nepam.

EPITAPHIVM

Eiusdem.

Non casu absentem, et maestum CATHARINA meo
ritum

Deserui, et petij regna beata poli:
illa DEI, atq; mei CHRISTI divina voluntas,
Qui, me sanguinea morte redemit, erat.
Foemina semper ego mortem, mortisq; dolores,
Aspectum Satanae pertimuiq; feri.
Propterea CHRISTVM de pectore saepe rogaui,
Vt me in morte diu non cruciare velis
Huic ago iam grates, cunctis actura diebus,
Quod vanas voces noluit esse meas.
CHRISTVS vita mea est, in quo iam viuo: salutem
Aeternam cernens, et bona parta pijs.
Vos igitur moneo patrem curate relictum,
Que peperit ventris pignora chara mei.
Aduentum Domini, quo iterum iungemur, adesse
Scitote: Interea chare marite vale.

M. VA.

5.

M. VALBNTINVS APELLES.

Desijt esse mortalis D. I. M. Augusti, H. 3.
matutina, Anno 1581. Qui dies, mensis & an-
nus hoc Chronodisticho continetur:

SOLE tenente Dies bis qVinqVe LeonIs, ApeLLES
CLarVs, Dat terrIs hoc grave CarnIs onVs.

Anno vero sue etatis 68. ad latus summorum
virorum, Dn. Doctoris HIERONYMI
VVELLERI, & D. CASPARI ZEVE-
NERI Superintendentis huius Urbis primi, pro-
pe Altare in templo Cathedrali, cui à beata Vir-
gine nomen est, honorificè sepultus. Resurrectio-
nem in die nouissimo cum omnibus pijs letus ex-
pectat.

EPITAPHIVM.

μνήμα βαλεντίνου καὶ σώμα τὸ θνητὸν Ἀπέλλου,
σὺ δὲ θεῷ ἴλαρον πνεῦμα ὀλυμπος ἔχει.
εὐσεβῆν παιδάς, καὶ χήσιμα πάντα δίδαξει,
αἰδίας σέφανον νῦν ἀμάρανθον ὄρει.

B

λυσία

Αυσιελῆ πᾶσιν τοι γραφεῖσ' ἀν' τε λείπει,
ῥωμαῖον κατ' ἔπος ποικίλαν ἰσορίαν.
ὣσε πατρὸς ἀγαπᾶ μὲν φίλτατα σώματα τέκνων,
ἔτω παῖσιν, καὶ τῆδε μέμνηλε χολῆ.
οὐχομαι ἐν σοι ἀνάσσειν ἐκ νεκρῶν φίλ' Ἀπίλλιε
ἄφρονα, νῦν τε καλὴν ἐν θεῷ ἠσυχίαν.
ἦματα τοῦτε βίῃς ἡμῶν κλείεσθαι ἀρέσως,
χάριμα καὶ αἰδίου δὸς πάτερ ἕραντε.

Aliud Eiusdem.

Cum vult ingratum propter mala crimina Mundum
Punire, ac poenas accelerare **DEVS**:
Eripit e vita hac vere virtutis amantes,
Quis curae est pietas, Religioq; sacra.
Et quorum gaudens Ecclesia sancta labore
Crescit, et immensa commoditate viget.
Qui profunt ludis cura, studioq; fideli,
Et Domini plantant, qua datur, arte polos.
Pro genere humano dicuntq; precantia verba,
Illud ne tangant ira furorq; **DEI**.
His, quos est Mundus non dignus cernere, poenae
Sublatis veniunt, et genus omne mali.
Sic est **ZEVNERI** vehementis penuria edendi,
VVELLERI pestis dira secuta necem.

Annus

Annūmerandus ijs etiam est præclarus **APELLES**
Huic quem misisti Magne **LVTHERE** scholæ.
Quem fecit magni insignis pietate **MELANCHTON**,
Quem fido expertus pectore **STIGELIVS**.
Quem quoq; **FABRICIVS** coluit, **IEGERVS** amavit,
Hic ut successit culte **SIBERE** tibi.
VVELLERVM septem vigintiq; audiit annos,
ZEVNERVM vidit bis duo lustra senem.
Præfuit illorum monitis huic rite iuuentæ,
Monstravit **CHRISTVM** huic, & pietatis iter.
Sectarum osor erat, quæ aliquid statuuntq; , docentq;
Quod purum contra est Religionis opus.
In primis verò detestabatur eorum
Errorem, sequitur qui rationis opus.
Nempe quòd in Cœna non sit præstantia **CHRISTI**
Corporis, in cruce quo vulnera passus obit.
Ore fideq; bona id cum cunctis dicere possum
Collegis, testis grex erit atq; Scholæ.
Sentiet os mendax **CHRISTI** tandem ante tribunal,
Quid sit de innocuis spargere vana viris.
Artibus ingenuis mores adiunxit honestos,
Iuuit ijs animos erudisse feros.
Autoresq; bonos lingue coniunxit vtriq;
Monstravit fontes Eloquijq; vias.
Et cum Collegis fraternè vixit, amavit
Ut genitor natos corda tenella Scholæ.

Et gratis, & mansuetus erat, pro tempore & equus
Fecit pro factis unicuique suis.
Propterea semper per magna frequentia Ludi,
Dante D E O, atque eius sedulitate, fuit.
Doctrinae fructus hinc eius Misnia tota
Percipit in templis, percipit inque Scholis.
Hoc quoque qui regnant magnis testantur in Aulis,
Ipsi etiam grates Curia multa refert.
Verum est quae meritis praemia iusta laborum,
Diuinum & laudes audiet ante thronum.
Ad latus interea Z E V N E R I conditus, atque
V V B L L E R I, in terra molle cubile tenet.
Spiritus in C H R I S T I manibus versatur, ouansque
Angelicos caetus, & videt ora D E I.
Quot Paulum gentes, CHRISTIque Ecclesia: A P E L L E M
Tot Rectorem annos audiit ista Schola.
Nunc o vos patriae nostrae saluete columnae,
Lumina Musarum vosque valete tria.
Vobis parata quies, vobis mala vita peracta,
Iam vos perpetui tempora veris habent.
Aerumnae, gemitus, lachrymae, patientia, luctus,
Atque alia ex alijs nos mala multa manent.
Ludibrium Mundi, manet & miserabile tempus,
Tempus quo nullum peius in orbe fuit.
Sed T V Saluator noster miserere tuorum,
Et frenos irae reprime C H R I S T E tue.

Ad

Ad Mundi finem nobiscum cuncta maneto
Secula: iam nigro lumine vesper adest.
Doctores serua, sanctum defende Senatum,
Et finito hanc urbem nil tetigisse mali.
Vnum illud quoq; CHRISTE DEVS, præq; omni-
bus vnum

Te grege cum ludi supplice voce rogo.
Iam metuenda quia est penuria magna virorum,
Qui ludis possint ritè præesse tuis.
Qui paupertatem, & possint perferre labores,
Et mala quæ vitæ nunc genus illud habet.
In messem sanctam messorum mitte fideles,
Et quos misisti, protegat umbra tua.
Suggere robor ijs, vt forti pectore vineant,
Et te ex ipsorum partibus esse sciant.

Conserua hunc Ludum, puerilia corda gubernas,
Et studium sacro Flamine, nosq; iuuas.
Vt quidquid facimus, quod discimus, atq; docemus,
Vtile sit patriæ, seruiat vtq; tibi.

CHRISTE veni, quia decreuit turbella piorum,
Illaq; quotidie fit minor atq; minor.
CHRISTE veni, impietas totum ne repleat orbem,
Pectore & ore rogat Gens tua, CHRISTE veni.

Versus lapidi M. APELLIS
infundendi.

D. IMM. S.

Mente VALENTINVS cum CHRISTO viuit
APELLES,

Ossibus hic præbet molle cubile lapis.
Sex & ter denos huic ludo præfuit annos,
Artes & docuit cum pietate bonas.

D. Valentino Apelli Gubinesi
Philos & art. liberal. Magist. insigni pietat. & doctrin.
excell. antiquit. peritiss. & historiar. studiosiss. Magist.
mor. humaniss. de literis opt. merito, Præceptorum S. con-
lendo: Et Collegæ per annos 23. chariss. gratitud. &
desider. ergo, ac in honor. glorios. Resurrect. hæc scribe-
bat M. MICHAEL HEMPELVS FRI-
BERGENSIS Scholæ patriæ Prorector, ipso die
decollation. Iohannis Baptist. qui est 29. M. Augusti,
Anno Domini M. D. LXXXI.

EPITAPHIVM.

ERgo tui genitor suavis sic pignora lecti
Deseris, & lætam scandis ad astræviã?
Heu dolor, heu lachrymæ, quid enim spectemus in orbe
Quod miseris tandem dulce leuamen erit?

Quis

Quisue relictorum genitor miserebitur absens?
Quisue sua laceras arte iuuabit opes?
Tu solamen eras nostrae post funera matris
Solutus, et instantis spes requiesq; mali.
Nunc querimur, lachrymasq; damus. sic esse relictos
Priuati auxilio colloquioq; tuo.
Sed tibi parta quies, caelesti uiuis in arce
Et tecum genitrix gaudia lucis habet.
Omnibus et letus nunc cernis adesse beatis,
Quos tibi mors natos abstulit ante diem.
Mentibus at nostris haec spes solatia praebet,
Hac, qui nos cruciat, fit minor ipse dolor.
Quod tempus veniet, tibi quo iungemur ouantes,
Viuentes tecum tempora perpetua.
Desine Musa queri, tristes abrumpe dolores,
Nil hic ad reditum longa querela facit.
Quin potius vitam sedis gratia re beatæ,
Ut sua defuncti molliter ossa cubent.
Namq; alij egregijs conantur dicere facta
Carminibus, resonat Pieridumq; choros.
Sic uiuit, nomenq; suum celebratur in orbe,
Pressus humo quamuis mortuus ipse iacet.

Elias Apelles: maestissimus Fil.
charissimi S. patris desiderio,
et in honorem gloriose Resura-
rectionis composuit.

ALLA

ALIVD.

HAc tellare situs pietate insignis **A P E L L E S**,
In coelis anima gaudia cernit ouans.
Corpus terræ : animam **C H R I S T O** mandauit anhelans
Donec in egroto Spiritus ore fuit.
Est per Baptismum purgatus crimine ab omni,
Aeternæ & vitæ gaudia plena capit.
Credidit in Coena Domini verum esse cruorem,
Et viuum Corpus **C H R I S T E** benigne tumine.
Sepius hoc igitur potuq; ciboq; refectus,
Hinc requiem petijt, non aliunde, sibi.
Quin etiam paulo ante obitum recreatus eodem,
Mortuus in vera est agnitione **D E I**.
Nunc ô chare pater placidè in tellure quiescas,
Corpore & vt surgas egregio, opto tibi.
Numine præsto tuo nobis sis **C H R I S T E** rogamus,
Quod faciat nostra vt fausta sit hora necis.

Sigismundus Apelles
mæstissimus orpha-
nus patri S. chariss.
scripsit.

T E

TETRASTICHON.

In terris vitam cum finiisset **A P E L L E S**,
Mortuus in vera est agnitione **D E I**.
Discipulis monstravit iter pietatis, ijsq;
Artes, & mores tradidit ille bonos.
Eius habet corpus tellus & Spiritum Olympus
Id dormit placide, hic gaudia summa videt.
Nomen at in terris erit indelebile donec
Continget vetitum parrhasis vrsa fretum.

DISTICHON:

Continens Annum, Nomen
& locum obitus.

Ipse **V A L E N T I N U S** **F**relbergæ **r**ector **A P E L L E S**
Ecce obit: at **V e r e n V n C** **V I D E T** ora **D E I**.

M E L C H I O R **A L N P E C K**
à **L O C K V V I T Z**.

E p i s

EPITAPHIVM.

Si qua prius mæsto doluistis funera versu,
Nunc Elegi versu, mæstaq; Musa dole.
Mæstaq; Musa dolē, tristesq; dolete Camæna,
Vestra sub immiti gloriæ morte cubat.
Namq; **V A L E N T I N V S** cultor pietatis & æqui,
Atq; Scholæ Rector qui fuit, ecce iacet.
Occidit & fatis resoluto corpore **A P E L L E S**,
Gymnasiarcha pius qui fuit, ecce iacet.
Fundite lugubres plorantia carmina Musæ,
Et querula lachrymas voce iuuate meas.
Sic sine mente iaces? Sic corpus inane recumbis?
Membraq; nil præter pallida Rector habes?
Heu vbi Pieridum decus ô tutela sororum?
Illaq; membrorum gloria grandis vbi est?
Omnia fluxerunt folijs collata caducis,
Corporis humani hic nil nisi forma super.
Heu lachrymosa dies & lux tristissima, docto
Freiberga ipsa Viro, qua spoliata fuit.
O dolor, ô veræ iustissima causa querelæ,
O nimis in lachrymas fata parata meas.
O mors in tristes semper promptissima casus,
Quando venis grato funere, tarda venis.
Non tua tam sanctum timuerunt figere pectus
Spicula? non dextra lapsa fuisse tua?

Mitre

Mortuus ecce iacet, Iuuenum quæ eorda sacrauit,
Corpora dat tumulo, datq; animam ipse DEO.
Sex & ter denos huic Ludo præfuit annos,
Quæ Vique bonis IUVenes Moribus erVDIT.
Deniq; virtutis quo non studiosior alter,
Nec magis antiquæ Religionis amans.
Ergo pio ferres quo præmia digna labore
Pollicitus cunctis, quæ DEVS ipse bonis.
Nam bene, mente alta si rem perpendimus ipsam,
Extremum clausit, lege iubente, diem.
Mors illi est non mors, sed somnus, pace quiescit
Aeterna, huic felix est quoq; parta quies.
Ipsa quies CHRISTVS, CHRISTVS pax, vita, salusq;
Est cunctis summum perpetuumq; bonum.
Aspectu fruitur CHRISTI dulcissimo, & hortos
Cum sanctis tenet is iam Paradisiacos.
Cum sanctis viuit longissima tempora vitæ,
Atq; DEO grata carmina voce canit.
Omnia iam discit CHRISTO doctore DEVMq;
Personis vnum cernit, amatq; tribus.
Nec rursus optaret lumen vitale videre,
Si donarentur totius orbis opes.
Proh dolor, aduenient, mihi credite, secula CHRISTVS
In quibus heu paucis vix bene notus erit.
Terra scatet vitijs, scatet impia terra periculis
Et quodcumq; vides, tristia cuncta vides.

Ille

Ille ferit gladio, canum necat ille parentem,
 In terræ hic avidas viscera condit opes.
 Hic peregrè aduectas spoliat Pirata carinas,
 Et prohibet tutas ire redire vias.
 Hic impostorem crudelem agit, ille tyrannum,
 Iniusta hic vrbes obsidione premit.
 Ille solet longas potando fallere noctes,
 Hic amat Idaliæ dulcia furta Deæ.
 Hic temnit CHRISTVM simul & sacra dogmata verbi,
 Vnde salus cunctis magna parata venit.
 Hic cupit alterius multo bona parta labore,
 Illius at loquitur perfida lingua dolos.
 Aemonio hic retrahit mundi vaga lumina Rhombo,
 Illius alma Ceres carmine tacta iacet.
 In summa, hæc, gemitus, lachrymas, seuosq; dolores,
 Nutrit in exhaustis, terra referta, malis.
 Hic nunc pestis atrox, totas grassatur in vrbes,
 Hic volat hostili torta sagitta manu.
 Hic miseranda fames vrgetq; carentia rerum,
 Hic segetes cælo fulmina missa terunt.
 Deniq; nulla satis tantos ex ordine casus,
 Quos habet hic mundus, vox memorare potest.
 Verè igitur felix, vitam qui deserit istam,
 Aspiciant oculi ne mala tanta pij.
 Ergo vnâ Musæ mæstum deducite funus,
 Mæstaq; lugubri fundite verba sono.

Aera

Aera sonora sonant, tristis libitina paratur,
Stantq; sepulchrales, more iubente, facēs.
Ecce Sacerdotum series, sanctusq; Senatus
Iam sequitur docti funera mœsta viri.
Ipse chorus totus, simul & plebeius ordo,
Virginibus quoq; adest dedita turba simul.
Hic gemit, ille dolet, pugnīs hic pectora cædit,
Hic sua nunc tergit lumina linteolo.
Ille preces toto ad CHRISTVM iam pectore fundit:
Hic sed præ nimio, flere dolore nequit.
Nunc tumulum struite: & tumulo superaddite flores:
Spiritus æterni vivit in arce DEI.
Sic tibi gratemur: pariter dominumq; rogemus,
Æternæ faciat nos quoq; membra Scholæ.
Mors vocet hinc: nulli mors est coniuncta periclo,
Ad rutilum tali fit via morte polum.

DISTICHON:

Numerum Anni 1545. continens, quo Vir
doctissimus Dn. Magister VALENTINVS
APELLES, piæ memoriæ, Freibergam ad
munus Scholasticum vocatus est.

Vere VALENTINVS FRIBERGAM APPELLIT APELLES,
CHRISTE FOVE HAC PLANTAS QVAS VIGET VRBE TVAS.

Alind

ALIVD.

Annum, Mensem, & diem obitus sub
complectens.

Luce Valentino prima hic spoliatvr Apelle
Freiberga & Avgvsti Caret.

Georgius Hordiseus Egranus.

ALIVD. ACROSTICHES.

Vos Freiberga metalliferis quos educat oris
Aonij iuvenes pars adamata chori.
Luminibus lachrymas oculis date protinus undas,
Et mecum madidis ora rigate genis.
Nam coi egregium referenti nomen APELLIS,
Tristia supremum fata tulere diem.
Invida fata minus rebusq; inimica secundis,
Nesciunt sunt doctis parcere morte viris.
Vixerat ille satis sibi, non soboliq; scholaeq;
Surreptus moestae vixerat ille satis.
Artibus erudiens cui multos praesuit annos,
Praeditus egregijs dotibus, arte, fide.
Et veram (quia discipulis bona plurima dixit)
Laudem τοῖς μαθηταῖς χρηστὰ εἶπεν, tulit.
Luce poli fulget nunc splendidiore sub astris,

Et Phæbæ instar lampadis ipse micat.
Sideriam hic aditus multis quia fecit ad arcem
Demonstrans cælum quo peteretur iter.

Martinus Nislerus
Eridlandensis.

Querela funebris.

Votis meis verbisq; rogantibus
Aures dedisset si superum chorus
Præceptor ô charissime, esses
Ipse superstes adhuc per orbem.
Sed forsitan dum consilio bono
Fauit minus diuina potentia
Nobis, solutus morte dulcem
Nunc requiem capias sepulchro.
Pro te quidem vixisse diu putas
Et te satis vidisse molestiæ?
Vixisti at haud Musis in orbe
Vsq; satis, puericiæq;
Quantum scholæ nam profueris, viros
Quotq; eruditos, & celeberrimos,
Eduxeris FRIBERGA in orbe
Carminè quis neget vsq; falso?

Eheu

Eheu dies funesta, lapillulis
Signanda nigris & merito, scholæ
Quæ fata nostræ affers iuuentæ
Dum cecidit moderator alme.

Tantum virum insignem ecquis erit modus
Deslere? quin ô præcipe lugubres
Thalia cantus atq; APPELLIS
Debita dona refer sepulchro.

Sic gratam alumni præcipiet sui
Mentem, sacratis proq; laboribus
Suis habeat sempiternam
Letitiam super astra cœli.

DISTICHON:

Continens Annum obitus.

CVR TV Erlbergæ NVNC TVRBA SCHOLASTICA MÆRES?
IPSE gregis nostrI fVNERA reCTOR obit.

FABIANVS NATVS
Einsterwaldensis.

ALI

ALIA.

Aspice, qui Cineri transis monumenta viator,
Hac docti recubat corpus **APELLIS** humo.
Quem Freiberga fuit multum mirata celebris,
Quaeq; colit sacros Calliopeia choros.
Quid recitem quali teneram pietate iuventam
Rexerit, adducens corda tenella **DEO**?
Non alias Musae coluere frequentius Oras,
Et felix multis vrbs ea visa fuit.
Gaudia nunc sentit caelesti sede receptus,
Lataturq; sinu maxime **CHRISTE** tuo.
Corpus humo tegitur donec lux venerit illa,
Qua surgent bustis ossa sepulta suis.
At te, Pierios qui nunc sectaris honores,
Cicere ne pigeat, molliter ossa cubent.

Iohannes Geuerdes
Goslauensis.

ALIA.

HAe tellure nigra, ne queras, corpus **APELLIS**
Doctissimi reconditur.
Dic quibus is rebus consumsit tempora vitae?
An deditus Musis fuit?

C

Ingenius

Ingenuas artes tractavit, Fieridumq;
Fouit chorum doctissimum.
Inter Apollineas artes caput extulit ille,
Docti chori vir gloria.
Illum Laurifera ferientis pectora Musæ
Lugent, genæ & lachrymis madent;
Profuit & multis doctæ facundia lingua,
Docens tenella pectora.
Sceptra scholæ celebris Freibergæ tradita multos
Annos tenuit fideliter.
Sed morbo extinctus tumulo nunc clauditur, illum
Tulere mortis vincula.
Proh dolor, eripiunt illum, qui viuere dignus
Erat perenni tempore.
Omnes conditio vitæ tam dura fatigat,
Ut quæq; mors rapit bona.
Illa viros celebres crudeliter, illa senesq;
Iuuenes & illa surripit.
Ut pereunt flores, pereunt ut gramina campi,
Horti cadunt ut lilia:
Sic pereunt omnes homines vi mortis acerba,
Lethumq; parcit nemini.
In cinerem corpus terrestre resoluitur, ex quo
Sumus creati singuli.
Spiritus ast veniens diuino fonte Tonantis
Manet per omne seculum.

EIVSDEM.

Ecce VALENTINVS morbo consumptus APELLES,
Hic iacet Aonij gloria magna chori.

Qui cecidit bis sex dum lustra peregerat, annos
Et septem, mortis quem tulit atra manus

Nunc vero aetherea latus versatur in aula
Et fruitur facie colloquioq; DE I.

DISTICHON.

Horam discessus continens.

Fata suprema subit virtute excultus APELLES,
Tertia quando sonum mane dat ante diem.

ALIVD:

Actatis tempus indicans.

Bis triginta erat & septem transgressus APELLES
Annos, vt placide mortis adiuit iter.

VEL:

Lustra VALENTINVS bis sex transgressus A-
PELLES
Annos & septem mortis adiuit iter.

ALIVD

Continens Annum, Mensen & diem.

PRIMO ortu AVGVSTVS terras replebat, APELLES
HINC, petit CELSI Vt tecta beata POLI.

Andreas Springer
Peganiensis.

C 2

BP 10

EPICÆ DIVM.

CHRISTE DEI Fili Verbum, & sapientia Patris,
Ad patris dextram qui sine fine sedes.
Te supplex, humilisq; voco, sis numine præsens
Cœlesti, & flatu pectora nostra reple.
Præcipe lugubres cantus, nam quis modus insit
Aut pudor, ipse animus nescit habere modum.
Extinctus perijt Musarum cultor **A P E L L E S**,
Rectorem tenuit quem schola nostra bonum
Ingenio clarus nec non virtute, colebat
Inprimis veram cum pietate fidem
Et veluti pestem fugit, dirumq; venenum,
Omnia, quæ contra sunt sacra **V E R B A D E I**.
Quæ tantum cæcæ rationis fila sequuntur,
Turbantes sanctum Religionis opus
Discipulosq; suos complexus amore fideli,
Ceus genitor natos diligit ipse suos.
Instillavit eis verum pietatis amorem,
Nec non virtutis semina larga bonis
Erudijt multos diuini Oracula verbi,
Commonstrans cœli quæ via ad astra ferat
Nam triginta huic ludo & sex vbi præsuit annos,
Rexit & hanc placidis moribus atq; bonis.
Post mala multa tamen tandem, exhaustosq; labores,
Et morbos constans, quos tulit ipse graues.

Hinc

Hinc in caelestem spaeiosi academiam Olympi,
Conuocat hunc summus Rector in arce DEVS.

In qua cum sanctis Patriarchis, atq; Prophetis,
A facie ad faciem cernit, amatq; DEV M.

Latitia ingenti mox se exhilarabit in æuum,
Fulgebit veluti sydera clara poli.

Hæc fieri, ô socij, non præter fata putate,
Ast animo vestro voluite perpetuo.

Quando viros magnos ex hoc DEVS auocat Orbe,
Cum iubet hos placide mortis adire viam:

Tunc plerunq; solent, vt tempora cuncta probabunt,
Ingentes rerum, & temporis esse vices.

Exemplo est obitus tuus ô diuine LVTHERE,
Idq; PHILIPPE tua maxime morte probas.

Quid quoq; VVELLERI sit funera moesta secutum,
Experientia sat testis adesse potest.

Nostrum igitur mortem nostri Rectoris APPELLIS
Iam deslere decet pectore quenq; pio.

Ceu patris chari nati mærore mouentur
Interitu, & grauibus fletibus ora rigant.

Cuius in hoc templo cathedrali virginis almæ,
Debile Freibergæ corpus arena tegit.

Assiduis votis Dominum de corde precemur,
Det nobis pacis tempora perpetua.

Et regat illustrem hanc urbem, cætusq; docentum,
Discentumq; artes protegat, atq; iuuet.

Do. 10.

Doctores quibus est opus addat & ipse fideles.
Qui presint nostris prospiciantq; scholis.
De CHRISTO sani qui spargant semina verbi,
Erroresq; vagos, qua decet arte, fugent.
Ut maneamus ei sacra vascula tempore cuncto,
Dilectæ patriæ quæ bona multa ferant.
Deniq; cum sanctis, & Præceptoribus ipsis,
Linquentes omnes, quas habet orbis, opes:
His simul ætherea capiamus in arce coronam,
Quæ manet, atq; omni tempore læta viret.

Distichon numerum anni
compræhendens.

Hel tibi fata trahunt, præceptor DVLCIS ApELLE
Freiberga Vrbs LVget, flet stVDiosa Cohors

Bonifacius Onecerus
Themarensis.



ALL

ALIVD.

Quamuis, vt primi morsu inuexere parentes
Mortem, calcanda est omnibus ista via:
Fallida mors equo quamuis pede principis arces,
Exiguas pulsat pauperis atq; domos:
Diuitie licet & pietas vel lingua diserta,
Aut ars vim mortis pellere nulla queat:
Attamen ex coetu quando DEVS auocat illos,
Lumina qui verè totius orbis erant:
Non facit id sine causa, adsunt mala plurima coram,
Afficienda quibus gens inimica DEO est.
Hinc est dura hames, multas ruitura per vrbes,
Hinc sunt ante domus bella cruenta fores.
Dogmata vel spargunt falsi peruersa Sophistæ,
Quis deprauatur Religionis opus.
Tabida vel pestis grassando, ardensue venenum,
Corporibus multis transitione nocet.
Ne sit tormentis istis subiecta piorum
Turba, DEVS sanctos in sua regna trahit.
Scilicet hæc ne etiam pius experiatur APPELLUS,
Doctrina insigni, & vir pietate granis:
Ereptus bonitate DEI, vitale relinquit
Lumen, & ipsius spiritus astra petit.
Ah propter CHRISTVM satis in statione molesta,
Pertulit impositum quàm patienter onus?

In patria iecit studiorum prima GVBINAE
 Fundamenta, DEO subueniente, sua.
 Annis accessit postquam maturior aetas,
 Inceptam studuit continuare viam.
 Mens fuit ad doctas celeri pede currere Musas,
 Leucoræ ingressus tecta sacra scholæ est.
 Atq; heroas ibi iuuenis pius audiit omnes,
 Qui tum instaurabant Religionis opus.
 VITI Vuinshemij Doctoris ab ore pependit,
 STIGELII socij est vsus amicitia.
 Vermiculos, hunc letali seruauit ab ictu,
 Lucentes quando nocte silente petit.
 Inde metalliferam Fribergam venit, ibiq;
 Accepit celebris tradita scepra scholæ.
 Hic reliquam vera vitam in pietate peregit,
 Fecit & hic summa, quæ peragenda, fide.
 Filius vt patrem pariter colit, atq; veretur:
 Sic coluit verum, sic veritusq; DEVM.
 Filios vt amant patres, vt amantur ab ipsis,
 Sic ludi, atq; eius mutuus ardor erat.
 Recto discipulos adduxit tramite CHRISTO,
 Monstrauit veræ Religionis iter.
 Artibus excoluit iuuenilia pectora honestis,
 Moribus instruxit corda tenella bonis.
 Correxerit veluti prauos, domuitq; feroces,
 Defendit certa sic ratione probos.

Hæc

Hæc recitasse sat est, docti prudentia **APELLIS,**
Et manifesta satis per loca multa **viris.**
Discipulis sex & triginta ubi præfuit annis,
Excessit membris, qui fuit ante, vigor.
Heu mihi, non meritos, quot pertulit unius anni
Per spacium morbos, quàm graue sentit onus?
Omnes perpessus tandem per membra dolores
Vitæ fata subit: regna beata tenet.
Quantus honos patriæ, tantum decus ipse **Fribergæ,**
Quanta fuit templo gloria, tanta scholæ.
Quid querulas voces iactas studiosa iuuentus?
Non lachrymas curant mortua membra tuas
Barbara gens, vitæ cui spes est omnis adempta
Aeternæ, fletus nescit habere modum.
Spiritus ipsius cœlesti sede receptus,
Præmia digna satis pro pietate capit.
Interea in terris quàm molliter ossa quiescunt,
Dum tenui in **CHRISTO** puluere tectâ cubant.
Ultima postremi cùm venerit hora diei,
Surgent, & viuent lucidiora die.
Fronte coronam hilaris pulchram gestabit **APELLES,**
Quæ non marcescet flaccida, dante **DEO.**
Quare age suspendas fletus, tristemq; dolorem,
Doctores alios iam **DEVS** ecce dedit.
Qui quoq; te aspicient oculis, vultuq; paterno,
Hos cole, ceu sanctos hos venerare patres.
Petrus Schultetus Crossensiss

ELEGIA

Funeris.

Iam Sol splendorem terrarum mittit in Orbem,
Et splendore suo gramina odore fouet.
Pinguis flauescit maturis campus aristis,
Et seges à curua falce resecta cadit.
Quiq; prius matidis commisit semina glebis
iam letans celeri gramina falce metit.
Omnibus hoc tempus secum fert gaudia summa,
Iubilat & toto quidquid in orbe viget.
Sed dolor hoc nostro latitat nunc pectore tristis,
Qui mihi mæstitiam, tristitiamq; parit.
Funera presertim Rectoris tristia luctus,
Ac præceptoris sunt mihi causa mei.
Atq; viri immerito nos non in funere tanti,
Has nostras teneras spargimus imbre genas.
Iuuat enim celebris Fribergi templa, scholasq;
Doctrinæ insigni, consilioq; pio.
Agmine vos iuuenes concurrite pectora Ludi,
Et cordis luctum significate granem.
Postea vosq; vrbis patres, ciuesq;, senesq;
Ereptum nobis quæso dolete virum,
Et nomen patulum vos concelebrate per orbem,
Pectoribus vestris dum vigor vllus inest.

Vt me

Vt me tarda nimis faciat natura poetam,
 Illa tamen scribo Rector amande tibi.
Et quamuis mea nunc nullo sint tincta lepore,
 Attamen ex toto, carmina, corde fluunt.
Hoc animo nostro simul obuersaberis, atq;
 Donec in hoc fragili corpore sanguis erit.
Nam pauidum studijs assuescere pectus honestis,
 Hæc tibi perpetuo sollicitudo fuit.
Munera quapropter debet tibi maxima contra,
 Pro meritis summis, plebs studiosa, tuis.
Et bona semper erunt imis infixæ medullis,
 Dum latus patrias Rhenus habebit aquas
Tandem præcipiti lapsu cum cuncta peribunt,
 Igne poli & fient purificante noui.
Vnanimes CHRISTI cum sisent ante tribunal,
 Aeterno fundent talia verba DEO:
Huic pater alme tuum semper perdiscere verbum,
 At varias artes mens studiosa fuit.
Moribus hic primam formauit & arte iuuentam,
 Dilexit verum Religionis opus.
Ipsi per CHRISTVM nunc pro pietate rependas,
 Cumq; viris tribuas præmia digna pijs.
O vtinam dotis concederet omnibus ipse,
 Pro meritis vitæ tempora multa DEVS.
Dignus eras fateor, doctissime Rector APPELLES,
 In terra tempus viuere Nestorium.

Sed

Sed nos ingrati ingrato versamur in Orbe,
Cum Cithara & passim spretus Apollo iacet.
Iam dudum nobis te inuidit regia cæli,
Et supra certum iussit habere locum.
Ut tibi pro summis meritis, summoq; labore,
Filius æternus præmia digna daret.
Ergo tuo exhaustus multo, varioq; labore,
Ad summi scandis regna beata poli.
Letus ad astra venis tristes nos Orbe relinquis,
Gaudia summa capis, nos mala summa premunt.
Hinc est in luctum versus iam ludus acerbum,
Te iuuenes cerno plangere, teq; senes.
Quam tu formasti, deflet tua funera pubes,
Contundit mæsta pectora nuda manu.
Funera deplorat tua nunc Respublica tota,
Flagrat & amissum Curia mæsta virum.
Nec minus hæc repetit tristi cum pectore mæstum
Interitum valde, plebs numerosa, tuum.
Insuper & nati per tempora longa recepti,
Mortem deplorant tempus in omne tuam.
Sed quoniam fletu non est reuocabilis ullus,
Qui semel ascendit cælica regna poli.
Quid iuuat immodicas lachrymas profundere frustra?
Rursus in hunc mundum nemo redire potest.
Ergo cum simus mortali semine nati,
Omniibus hæc nobis vna terenda via est.

Nec

Nec tristis debet nobis lux illa videri,
Omnia qua percunt adueniente mala.
O nimium felix, & ab omni parte beatus,
In vera moritur qui agnitione DE I.
Postremo Rector rogo te venerende, nec illa
Ultima discipuli gramina sperne tui.
Vesperus occiduis lucem prius ac vehet undis,
Inq; suas noster Mulda recurret aquas.
Quam subeant animo meritorum obliuia nostro,
Aut meriti videar non memor esse tui.
Et quoniam dignus nequeo te dicere Versus,
Ad nomen faciat nec mea Musa tuum.
Fauerit atq; meo si diuus Apollo labori,
Scriptis, spirabis tempus in omne, meis.
Hoc satis est, Lector, manibus patremq; precare,
Ista VALENTINI suauiter ossa cubant.
Adueniet donec magna stipante caterua
CHRISTVS, qui fontes iudicet atq; pios.
Quem, qui sponte sua lumen vitale reliquit,
Nunc tumulto expectat mortuus ille suo.

Valentinus Machouius
Crossensis, scripsit Do-
mino Praeceptoris &
populari S.

NAEs

NÆNIA.

Ex vita hac placidè doctus migravit **A P E L L E S,**
Mente sinu in **C H R I S T I** gaudia summa videt.
Eius habet corpus tellus, in nubibus altis
Donec Saluator conspiciendus erit.
Doctrina excellens fuit, & pietate verendus,
Et docuit mores cum grauitate bonos.
Hinc fuit illius Ludus velut hortus amœnus,
Qui totam recreat Misniam odore bono.
Spirat hic in ludis, in **C H R I S T I** Ecclesia, & aulis,
Hoc quoq; seruatur plurima turba Patrum.
Nam spacio lustrorum octo, sine quatuor annis,
Doctorum iuuenum millia multa dedit.
Propterea meritis nactus memorabile nomen,
In terra viuet carmina donec erunt.
In caelis autem spectabit iusta laborum
Præmia, quæ nullo sunt peritura dieo
Et cum discipulis charis, cætuq; piorum,
Laudabit letus voce sonante **D E V M.**
Interea placidum capiat per membra soporem,
Aspectu Domini colloquioq; fruens.
Da nobis etiam finem mi **C H R I S T E** beatum,
Quando in supremo mortis agone sumus.
Atq; animas emptas precioso sanguine nostras,
Dextra tua extremum seruet ad vsq; diem.
E Z E C H I E L G A N T Z I G K Haynensis.

ALIA.

Hospes. Pietas.

Desine mortalis posthac exquirere causam,
Cur pereat iuuenis, cur percatq; senex.
Horrida nam Clotho mortalibus inuidet egris,
Sedula quæ diuûm munera iussa facit.
Non hominum curant mortis benefacta sorores,
Nec quid quis valeat mente, vel officijs.
Sed rapiunt cunctos nullo discrimine reges,
Et paruum cogunt sub sua iura casam,
Hæc reputo mecum. Cuius tu virgo sepulchrum
Sancta tenes? cuius corpora tecta iacent?

**P. APPELLES. H. Satis est audito nomine. P.
CHRISTO**

Hic mandante eius molliter ossa cubent.
H. Ergo polo acceptus? P. mente ipsa scilicet aio
Gaudia qua cernit quanta futura pijs.
Sed tu cur gemitus tantos de pectore ducis?
Quid tristis vultus, quid lachrymæq; volunt?
H. Hunc ego cum norim, nunc eius deseo mortem;
Nam pius & sanctis moribus ille fuit.
Hic miserande iaces, exanguis & flebile corpus?
Heu luctus nostri funere causa tuo es.
Qui rerum causas, fontesq; agnoscis, & artes
Firmiter ingenuas pectore docte geris.

Cum

Cū sis vtiliter Ludi moderatus habenas
 Freibergæ, Musæ te moriente dolent.
 Omnis te doctum Germania prædicat ore,
 Quosq; doces, floret Misnia mille viris.
 Ah cui nos miseros natos, pater optime linquis?
 Ne veniant vereor tempora praua nimis.
P. Sufficiant lachrymæ, quamuis dolor ille videtur
 Iustus, sed tamen vt sit modus in lachrymis.
 Si non sit lachrymis modus inuidisse putaris,
 Rectori aspectum colloquiumq; DE I.
H. Saluete ergo sacri manes: tuq; optima corpus
 Terra tene, hæc sub te molliter ossa cubent.
 Tu nunc in cælis habitans charissime APELLES,
 Delicijs fruere colloquioq; DE I.
 Inq; choro electus blanda nunc voce piorum,
 Alloqueris sanctos, sanctus & ipse DE I.
 Nos hic mortales fors inuidiosa fatigat,
 Tempora sperantes deteriora tuis.
 Viuimus & læti memores, CHRISTVMq; rogamus,
 Vt nobis etiam fausta sit hora necis.
P. Vade, valeq; diu, salue feliciter hospes,
H. Tuq; vale, manes vosq; valete sacri.

Bartholomeus Klemme
 Arnswaldensis.

ALIA

A L I A.

F undite nunc mecum lachrymas ô fundite Musæ,
 Mæsta; fleat posita funera Apollo lyra.
Occidit **A P P E L L E S** pietate insignis & arte,
 Heu docti Aonidum gloria quanta chori?
Sedulus exposuit sacras qui rite iuventa
 Artes, doctrinis imbuit atq; pijs.
Quo monstrante viam, doctorum maxima turba
 Parnassi victrix scandit ab alta iuga.
Parcere dico tuæ fuerat mors inuida partis,
 Atq; inclementes abstinuisse manus.
Parcere sed nescis, precibus neq; flecteris ullis,
 Omnes sub leges præcipis ire tuas.
Attamen hæc nostri solatia firma doloris,
 Vincula quòd finem sint habitura suum.
CH R I S T V S enim domitor mortis cum tempore mundi
 Supremo, à celsi venerit axe poli.
Mortua ab exesis tumulis rediitua resurgent
 Corpora, cælorum & gaudia summa petent.
Spiritus vt **C**H R I S T I mandato letus **A P E L L I S**,
 Tunc iterum in sanctæ tegmine carnis eat.
Perpetuoq; **D E O** iunctus leta incolet arua,
 Promissæ patriæ, liber eritq; malis.
Interea illius tenuem & sine pondere terram
 Osibus, à **C**H R I S T O supplice voce precor.

Michael Khun Fribergensis

D

ALIO

ALIA.

Quid mihi vobiscum est infelix turba Camæna
Aspera quæ nulla fata leuatis ope?
Quid crepuisse iuuat tentatas pollice chordas
Pæbe quid argutam posse mouere lyram?
Herbarumq; tibi sit subiecta potentia quamuis,
Et licet inuentum sit medicina tuum.
Morte tamen nescis sacros arcere poëtas,
Hei mihi quòd mortem fallere nemo queat.
Ite procul viliolæ, victrices cedite lauri,
Tempora feralis nostra cupressus habet.
Vatis in exæquias carmen meditabor **APELLIS**
Dum meditor, risu quæso Thalia vaces.
Te magis eterno iuuat indulgere labori,
Vt desiderijs gaudeat umbra tuis.
Orphea, ceu vitreis luxerunt Naiades vndis,
Cum stygijs tristi morte subiret aquas:
Vtq; repercussæ sonuerunt flebile ripæ,
Accreuit lachrymis Hebrus vt ipse suis.
Sic tu, sic reliquæ flentes Heliconis alumne
Iam Præceptori soluite vota meo:
Qui non diuitijs, non natus idoneus armis,
Nec fuit ipsius lingua sepulta mero:
Sed sermo toties doctis collatus Athenis
Dulcior hyblæo melle per ora fluit.

vista

Visibus humanis & quod natura negabat,
Pectoris hos oculis percipit omne suo.
Cur in quinque plagas tellus extenta pateat,
Spirat adhuc cineri subdita cura pio.
Cur totidem Zonis caelum distinxerit Atlas,
Atlas quas humeris sustinet ipse suis.
Extremae quantum glacie, tantum imbre rigescant,
Nec detestandum temperet aura gelu:
At media assidua Phœbi subiecta calori
Semper Cepheos inficit igne lares.
Utque duæ miseris essent mortalibus aptæ,
Quippe DEVS cauti pectoris egit opus.
Quid loquar? ut sacris solerti fontibus ora
Admoneat, verum dum canit ore DEVM.
Vnde vel inuidia fert admirante celebrem,
Terra potens armis Misnia, diues opum.
Di grates referant, quæ tot præclara virorum
Ingenia ad causas nutrit alumna pias.
Quid modo crescentes lauros sibi Vandalus optat?
Detulit has ripis Mulda sonore tuis.
Vir Samius veluti studiis intentus honestis,
Præfert natali littora Tusca solo.
Naturæque iubens varios perdiscere mores,
Pectora ceu duro robore nata donat.
Sic dotis animos studet emendare libellis,
Persequiturque tuos culte Menander sales.

Iam stimulat dices, modo consolatur egentem.
Dulce malum in studijs, si patiaris, ait.
Dilige iusticiam, Musisq; dicata iuuentus
Sanguine quæstas despice pauper opes.
Virtutis via dura licet: mortalibus ipsis
Nil sine difficili vita labore dedit.
Pro quibus ut monitis ageretur gratia, dixi
Di pyllos annos contribuisset velint.
Talibus instabam votis, sed vota gementis
Non audituri diripit aura Noti.
Annorum seriem vigili dum mente reuoluit,
Et dum Misniacæ consulit historie.
Ipsa velut soluens inclusam carcere vitam
Iniecit celeres parca seuera manus.
Pro superi tenues tantus labor ibit in auras,
Nec seui poterit vincere iura rogi
Vester honos agitur, suspensi numine Mysi
Inferias tanti condecorate viri.
Et quos propitio conscripsit Apolline versus,
Ponite victuras inter Ephemeridas.
Non illum falsæ terrent periuria terre,
Dicta nec in sanctum verba molesta DEVM.
At ubi fatales constans expleuerat annos,
Letus ab humana cessit in astra via.

Gaude

Gaude chare senex: tū nunc eris vnus eorum,
Ducet in Elysias quos **D E V S** ipse domos.
O vbi dant vocum discrimina mille beati,
O vbi coelestis gaudia miscet amor.
At nos (quandoquidem pietas iubet) optime vates
Reddemus cineri dona suprema tuo:
Et duo sunt versus: hac qui requiescit in urna,
Vnius hic **C H R I S T I** praeo fidelis erat.

Nicolaus Hammerschmidt.
Sonnenbergensis Gratitudinis ergo.



P&E.

PRECATIO

Michaelis Hempeli Fribergensis pro
tranquillo, & quieto ex hac vita
exitu, singulis horis dicenda.

TE rogo sancte DEVS finem largire quietum,
Ultima cum vita venerit hora mee.

Integri sensus, sit mens à crimine pura,
In gremiumq; animam hanc suscipe CHRISTE tu-
um

SPIRITVS & presens extremo in mortis agone
Sit SACER, & cordi robora suppeditet.

Morte repentina non opprimar, atra gehenna
In me nil iuris, nil habeatq; Satan.

Alius opto rei subeat reputatio mentem,
Quando dat è turri quelibet hora sonum.



Mein

H. E.

Mein Sinn/ Vernunft/ guten Ver-
stande/

Den heiligen Geist zu ein Beystand/

Ein selig stund bscher mir mein Gott/

Wann hie mein leben ein end hot.

Wann Leib vnd Seel ausm Jammerthal/

Zur ewign freud sich scheiden sal.

Vorm schnellen Todt/ vnd Hellen glut/

Mich O HERR Jesu Christ behüt.

Solches zu betrachten/ vnd mit dem Mund

Zu sprechen / hilff mir zu aller stund.

M. N. S.



ANNO

M.D.LXXII.

La 673 QK

MDLXXII

MC

Pon Za 673, Qu

f


ULB Halle

3

004 956 923







Q. 233. 22

Za
673

CLARISSIM
ET DOCTISSIMI VIRI

D. VALENTINI APELLIS GVBI
nensis, Philosophiae & art. liberal. Magistri, ac Scholae
Friburgensis per annos XXXV I. Rectoris fidelissimi,
Vite Curriculum, Chronodistichis quinque, & Epitaphia
nonnulla, à viris doctis, Collegis, filijs & discipulis,
in honorem gloriose Resurrectionis scripta,
& collecta:

M. Michaelē Hempelō
Friburgensi.



15

82.

FRIBERGÆ.

Optimū. aut studioso diligenti
hiss. Michaeli Kbenoni Fri
burgensi Civis. claviss. homo
misit Auer 3900

